

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Lachrymae fusae ad feretrum Viri Magnifici, Nobilissimi,
Amplissimi Prudentissimi Domini Joh. Casparis Berneggeri
... Ex hac mortalitate abiit, et ad beatorum coetus
transmigrauit V. Calendas Iunij ...**

Faust, Isaak

Argentorati, 1675

[urn:nbn:de:bsz:31-135531](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-135531)





67.
LACHRYMÆ

fusæ ad feretrum

VIRI

MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLIS-
SIMI PRUDENTISSIMIq;

DOMINI

JOH. CASPARIS
BERNEGGERI,

Inclytæ S. R. Imperii Liberæ Reipubl. Ar-
gentoratensis CONSULIS hætenus REGENTIS
Gravissimi &c.

Qui Curis & Negotiis pro Republ. præclarè ultra
quadraginta annos in se susceptis superatisq;, magno
totius Patriæ & bonorum omnium cum luctu

*Ex hac mortalitate abiit, & ad beatorum cætus transmigra-
vit V. Calendas Junij Anno à nato Christo 1675.*

Ætatis LXIV. nondum decurso.



ARGENTORATI,
Apud JOSIAM STÆDELIUM.



Obitum,

Patriæ omni luctuosum,

VIRI Nobilissimi, Amplissimi, & Prudentissimi,

DN. JOHANNIS CASPARI

BERNEGGERI,

Tredecimviri Inclyti,

&

CONSULIS REGENTIS,



*Viribus heroum præstat Sapia cauta
Et militari robori,*

*Et sonitum armorum horribilem Prudentia vincit,
Ducumque iussa fortium.*

*Hæc SALOMONIS erat Regis sapientia magni,
Doctrina præstantissima.*

*Ergo, quo gemimus luctu nos, CONSULE cauto,
Prudente, fido, industrio,*

*Orbati? arma strepunt, concurrunt agmina, cælum
Clamor ferit furentium.*

*Terrores subeunt subiti, mæroreque complent,
Tenentque mentes anxias.*

*CONSULIS hoc casu tremimus, concussa Virorum
Pavore corda palpitant.*

*Ille quidem vivit DOMINO, victorque triumphat,
Et seculum calcat ferox.*

*Nomen, BERNEGGERE, Tuum florebit in ævum,
Vivetque amabile omnibus,*

*Vivimus? heu miseri! non vivimus. Ipsaque vita
Terrore mortis cingitur,*

*Et quærunt homines mortem, miserique peroptant
Quiescere à laboribus.*

*Sed fugit hos quæsitæ quies, quæsitæ fugit mors,
Et vota temnit durior.*

*CONSUL magne, PATER bone, BERNEGGERE, quiescis,
Est sanctior Quies TUA.*

gemitibus multis prosequens

ser.

Isaacus Faustius, SS. Theol. D. & PP.

Ord. & Ecclesiastes, p. t. Universitatis

RECTOR.

Aeter.

Aeternum feliciter!

Viro quondam

Nobilissimo, Amplissimo, atq, Consultissimo

DN. J. C. BERNEGGERO

Reip. Argentoratensis haecenus Consuli Regenti,

*Patrono, Affini, Compatri suo, dum viveret, pie
Colendo, dum mortuus est grata memoria
prosequendo!*

QUI Patriæ Consul, mihi qui Patronus, & olim
qui Dannhaweri Jonathan alter eras;
BERNEGGERE, tua vitâ defungeris, Eheu!
Marte, metu, morbis tempore difficili!
Sed quis TE culpet Tibi consuluisse, migrando
quo Mars, quo metus, & morbus abesse solet,
In cœlum, vitæ fontem, sedemque quietis,
lætitiæque domum, cuncta volente Deo;
Heic TIBI pro meritis reddentur præmia, dudum
debita, sed nunquam præstita pro merito;
Nam tantum Patriæ meritorum, Amplissime Consul,
præstiteras, quantum reddere nemo potest:
Fas igitur præstare Deum, quæ nemo clientum,
vel patriæ poterat solvere quanta decet.
Spiritus in cœlum rediit; Nam venerat inde;
in terram corpus, Nam fuit inde datum;
Donec, ubi cœlum cum terrâ desiit esse,
Spiritus & corpus cernat uterque Deum;
ô liceat simili iustorum fine beari!
Ex voto vitæ sic mihi finis erit!

*Pro amplissimo B. Defuncti in se collatis meritis
grata & devota mentis τρυφήν
L. M. Q. posuit*

Baltasar Bebelius S. Theol. D. & PP.
Facult. Theol. h. t. DECANUS.

HEU quem commissi modò fasces nobilis urbis,
Quemque exornavit Consulis altus honos,
Dignum laude Virum, Te quàm citò morte videmus
sublatum! Patriæ quàm citò fata negant!
Tempore tam duro rebus labentibus ex Te
affulsit salvo spesque salusque nova,
Namque aderat cordi robur, prudentia canis:
auxit rerum usus longus utrumque Tibi.
Gratia quin toties Te Cæsaris alma beavit;
Regum Magnatumque irradiavit amor:
Pro Patria quorics legatus missus ad Aulas
res suscepisti mole viasque graves.
Ergò Caput luge, ô tota Urbs! lugete Patronum,
ô cives omnes! Patria cuncta Patrem!

A 2

Subve-

Subveniat verò concussis rebus Iova, ut
succedat lapsæ firma columna brevi.

Ultimi honoris & observantia causa f.

Patrono Magno

Sebastianus Schmidt, D.

Christe tuam defende malis instantibus urbem!
Omen sinistrum nec leve est.
Berneccerus obit, Patriæ Pater & caput urbis:
quid quæso non timebimus?
Si caput amissum est, facient quid membra caduca,
nisi *Christe* tu feras opem?
Transit homo; sed non moritur Respublica, si sit
turris DEUS fortissima.

Aeternæ Memoriae

Optimi Dn. CONSVLIS

& solatio

Colligentium

pos.

Gerardus von Stöcken /

U. J. D. ac Pand. Prof. P.

Capituli Thomani Canonicus.

Fungite communes hæc circumbusta querelas
Quæ BERNEGGERI fascibus atra patent.
Consule quo innumeris Respublica libera curis,
Quo fuit Illustris Consule tuta schola;
Quem revocant medio dicturum vota senatu,
Quem patriæ Cives & coluere patrem;
Quocum sub tumultu pars magna recondier uno
Cum capite & domino vellet humata suo,
Quem stupere foras qui circum hæc mænia serpunt,
Cujus suada domi tam veneranda fuit;
Cujus & auspiciis faverunt fata Clienti,

Cur dolor obsequii gloria prima mei est?

debita reverentia causa fecit

Fridericus Schragius D.

& P. Inst. Imp. ordinarius.

Quale mihi fatum est? quòd uterque Sororius unâ
Morte, regens fasces dùm moderatur, abit.
Nam simili exemplo cecidit quoque *Gambsius* olim,
Cùm gereret *Rektor* fulgida sceptrâ scholæ,
Nunc regimen *Consul* modò qui susceperat urbis,
Berneggerus obit, (quàm mihi triste!) diem.

Ultimi honoris ergò lugens

scripsit

Johann. Albertus Sebizius

Med. Doct. Profess. ordinarius,

& Reipubl. Argentoratensis

Physicus.

Lauda-

Laudatâ Civés modo dum ratione gubernat,
Et prudens clavum temperat arte suum.
Spectatus Consul, subito Dictator eundem
Summus abire jubet de statione suâ.
Tacturam patimur justis fortisq. Regentis!
Quæ mala non metuat mens novitate pavens?
Consulat afflictis qui consulit Arbiter orbi,
Et reliquos Patria protegat ipse Patres.

Observantiæ *ἰνυμῶσιν* p.
Marcus Mappus D. & P.P.

Quem publicæ petiere Civium preces,
Nactæque Consulem, per ampla præditum
Rerum gerendarum scientiâ, DEO
Gratum, Ordinibus & singulis amabilem,
Amisimus. Casu quid hoc conterritus
Præfagiat animus mali, constat facile.
Jehova, Rex Regum, potentissime Pater,
Urbem, Domumque protege Tuam fortiter!

scr. observ. test. gr.
Johannes Faust SS. Th. D.
Log. & Metaph. PP.

Clavum rei qui nunc tenebat publicæ
Argentorati Consul inclytus, suo,
Heu, functus est fato! Vir ille dum fuit,
Qualis fuit, necesse si esset pluribus
Hoc explicare versibus, mirabilis,
Ingensque moles inde libri exurgeret.
Est nempe BERNEGGERIUS is, quem mortuum
Dixi esse. Quod quam gloriam nomen habeat
In se, omnium est id publica in scientia.
Tanto hinc magis nunc tota luget Ciuitas,
Quæ se columna tristis orbam nunc sua,
Vereque truncam capite nunc sentit suo.
Tale caput, ô nobis, DEUS, tu suffice!

*Nobilissimo Amplissimoq. Consuli,
Observantiæ & honoris ultimi causa scripsit*

Samuel Schallesius,
Eloq. Prof. Publ. & Gymnasiarcha.

Ui nova nupta suo luget vidua a marito,
Cui fuit in socio vix modo juncta thoro:
Sic Vrbs nostra dolet Te, BERNEGGERE, perempto,
Cujus erat pridem quam bene foras inu?
Vtq. piæ lachrymas & læso è pectore planctus
Casibus in tantis ederet ille dolor.
Sic non injustas movet imo è corde querelas
Patria, Te tanto quod manet orba Viro.
Soletur mæstam Numen, italemq. relicte
Restituat publicæ sit cui curæ rei.

B

Hoc

*Hoc cupit & votis ardentibus alia precatur
Curia, quin & idem publica vox petunt!*

Beatissimis manibus

PATRONI DESIDERATISSIMI

lugens parentabat

Julius Reichelt,

Mathem. Prof. Ord.

Ad

Amplissimum Virum

TOBIAM BERNEGGERVM

REIP. ARGENT.

QUINDECIMVIRUM

FRATRI MERITISSIMO

Exequias Euntem.

SEptima præteriit lustris volventibus ætas;
(Funestum Musis lux ea nomen habet:)
Exequias Magno quòd BERNEGGERE Parenti
In patriâ cives constat iisse Scholâ:
Illa tamen per Vos viventis imagine Patris
Damna tulit multo fortius ista necis:
Nunc Fratrem crepto, fraternas nil nisi laudes
Solamen Tecum triste doloris habet:
Has non elogio, patriis sed laudibus ornat;
Exemplo ut fiant nobiliore pares.
Illic delictum veneratur Apollinis; ast hinc
Regibus acceptum Cæsaribusque caput:
Illo artes genitore satæ & sapientia rara;
Hic verus Patriæ dicitur esse Pater:
Musarum illius ductum est in funere funus;
A Patriæ quantum hoc funere funus abest?
Tristius à nostris procul absit moenibus omen!
Non minor hinc certe est, quam fuit inde metus.

*Venerationis & observantia monumentum
posuit*

Ulricus Obrechtus

Hist. Prof.

Grabschrift.

ESer der du gehst vorbei /
Dise hole Grabes-Grufft /
Höre wer dir allhier rufft;
Stehe still und mercke frey
Wer allda begraben sey.

Es ist ein Lieber Mann / und Straßburgs theure Zier /
Herr Bernegger von dem ich gar oft höre sagen /
Wann man ihn solte schon auff einem güldnen Wagen /
Herumber führen dort / und allenthalben hier /
So könnte man doch nicht sein Dienst und große Treu /
Mit aller diser Ehr / demselbigen bezahlen /

Auch

Auch seine Lieblichkeit nicht völiglich abmahlen /
Diß hat ein großer Mann * gered ohn alle schew.
Ich sehe diß darzu / wann man den Helicon
Zu seinem großen Lob auch gang erschöpfen wolte /
Und seiner Tugend-Preis / als wie man billich solte /
Erheben hoch und weit / so bleib doch Rest davon.

* D. Joh. Conr.
Dannhauer p.m.

Lieber / geh nun weg vdn hier /
Wann du vor gewünschet hast
Disem Leichnam Ruh und Rast /
Und der Seelen Bonn und Zier
In dem Himmel für und für.

M. Joh. Jacob Schnitzler.
Helffer bey St. Thomæ.

Quid doleat, si forte roges, qui publica ducit
Funera, & in pullo longus vestitur amictu
Ordo Patrum? Quid triste sonet comitata feretrum
Turba, atas, sexusque omnis, discrimine nullo;
Accipe. Qui nostram venturi providus Urbem
Et vigili rexit curâ affectuque Paterno,
BERNEGGERUS obit: quo Consule Patria nuper
Lata per hos belli viguit segura tumultus,
Et prævisa diu potuit vitare cavendo
Damna: velut Pylus quondam prudenter Achivos
Præmonuisse senex, aut cautus fertur Ulysses,
Annorumque decem pariter tolerasse laborem.
Sic Hic namque fuit sæcli prudentia nostri,
Consiliique boni pariter patrator & author:
Qui Reges adiit magnos, qui Cæsaris aulam,
Magnorum qui castra Ducum, sacrique Senatam
Imperii, Proceresque Viros, urbesque potentes.
Hunc sibi cum legeret, Consul foret hujus ut anni,
Patria, in Illius demisit pectora curas
Ipsa suas, rerumque illo discrimine tanto
Hunc Laërtiaden, Hunc & sibi Nestora fecit.
Quod si forte preces, quod si pia vota valerent,
Viveret hic Heros, & nos potiremur eodem,
Nestoresque dies & funera sera videret,
Sed quoniam cœli placuit sic denique Regi
Eripere hunc nobis; ne fors confidere in Illo
Quis velit, humanas ausus præponere curas
(Fallaces nimium, nisi cœli cura superfit)
Illius arbitriis; hoc solum quæsumus omnes,
Sancte DEUS, Patriam conserves pronus ut Urbem
Per quoscunque voles, & nos tueare potenter!
Sic Tibi dicemus devoto pectore grates,
Sanctius & posthæc, ut fas, Tua iussa sequemur.

Amplissima familia BERNEGGERIANÆ
testaturus Observ. collugens scrib.

M. Joh. Christophorus Artopœus.

Siccine turbatis iussus discedere terris
Discedis patriis, chare Pater Patriæ?
Dum Bellona furit, Martis quoque dira minantur
Fulmina, Tu subito, tristia fata, fugis.

B 2

Gaudia

*Gaudia surgebant nuper Te consule facto,
 Gaudebant omnes auspiciisq; tuis:
 Quilibet, heu tristis sed nunc lugebit ademptum,
 Iacturam reputans luctibus assiduis.
 Sic adeo nunquam constanti fidere currunt
 Leta, sed in tristes qualibet hora ruit.
 Sed quoniam Domino placuit sic, ossa quiescant,
 Non equidem moror pectora Vestra premat.
 Deb. honor. & Observ. ergo
 apposuit*

M. Joh. Jacobus Anforg.

Egregio genitore fatum prodire sub auras,
 Prosperitas paucis valde concessa putatur.
 Proxima sed tamen hæc: Fatis urgentibus orbem
 Germani nomen tantum amisisse parentis,
 Non animum & curam; summo moderante Parente
 Si quis in erepti simili pietate fideq;
 Succedit munus, patriumq; exerceat amorem.
 Ergo infelicem quis me non dicere vellet,
 Cui post germani tristissima fata parentis
 Vitricus eripitur, illi haud pietate secundus?
 Imprimis cum me, teneris dum versor in annis,
 Tot vitiorum agitent fluctus sævæque procellæ,
 Virtutis nec dum mea firmant pectora vires.
 Ast illi sic est visum, qui fata gubernat.
 Transtulit hic Patrem ad cœlestis gaudia regni,
 Vitæ mortalis tot tempestatibus actum,
 Æternas sedes noctesque diesque gementem.
 Non accusabo sancti decreta Parentis;
 Ad Numen potius mitto flagrantia vota,
 Ut nudum auxilio foveat clementia cœli.
 Et quanquam Tua, chare Pater, me cura relinquit;
 Ast Tua nobilitas, Tua me pietasque fidesque
 Egregio accendet semper virtutis amore.

*Ita luctuosissimum optimi indulgentissimiq;
 Parentis obitum prosequitur
 privignus*

Johannes Paulus Gambsius.

Certus eram letas emittere, Patrue, voces,
 Cum Te vidissem claros deponere fasces.
 Heu casum durum! spes hac me vana sefellit,
 Nam Patriæ fasces una cum corpore ponis,
 Ergo pro plausu tristes iterabo querelas!
 Rapta mihi siquidem est Tecum pars magna salutis,
 Ast immota manet Supremi sancta voluntas,
 Quæ Servum dignum meliori sorte recepit.
 Ast Tua me virtus, Tua terris tradita fama
 Noctes atq; dies magnos animabit in ausus.

*Paucis hæc desideratissimum Dnm. Patruum per-
 sequitur ex Fratre nepos*

Tobias Berneggerus.







